reſcindi valetudinis corporis adverſæ velamento. S. 7. Idus Maji, CC. CONSS. 294.

De actis & ſcriptura.

28. Iidem AA. & CC. Sapparitæ.

SIve[1] apud acta Rectoris provinciæ, ſive ſine[2] actis ſcriptura intercedente vel non[3], transactio interpoſita eſt: hanc ſervari convenit. † Sed quoniam, *Ut*[4] *certum quid accipias*, conveniſſe te, licet ſine[5] ſcriptura, proponis, nec hujus rei cauſa ſtipulationem ſecutam eſſe: quamvis ex pacto non potuit naſci actio, tamen rerum vindicatione[6] pendente, ſi exceptio pacti oppoſita fuerit, doli mali vel in factum replicatione uſa, poteris ad obſequium placitorum adverſarium tuum urgere. Dat. 3. Non. Jul. CC. CONSS. 294.

De Speciebus poſt transactionem repertis: & de Errore.

29. Iidem AA. & CC. Martiæ.

SUb[7] prætextu ſpecierum[8] poſt repertarum: generali[9] transactione finita, reſcindi prohibent jura. Error autem circa proprietatem[10] rei apud alium extra perſonas tranſigentium tempore transactionis conſtitutæ, nihil poteſt nocere. S. 4. Kal. Octob. CC. CONSS. 294.

De dolo.

30. Iidem AA. & CC. Antonino.

TRansactione finita: cum[11] ex partibus tuis magis dolum interceſſiſſe, quam eorum contra quos preces fundis, confitearis, inſtaurari grave, nec non criminoſum tibi eſt[12]. S. 5. Idus Octob. *Crebro* CC. CONSS.

De clauſula, Nihil amplius peti.

31. Iidem AA. & CC. Proculo.

SI de certa[13] re pacto transactionis interpoſito hoc comprehenſum erat, *nihil*[14] *amplius peti*: etſi[15] non additum fuerat, *eo nomine*, de cæteris tamen quæſtionibus integra permaneat[16] actio[17]. PP. 4. Idus Octobris, *Byzantii*, CC. CONSS. 294.

De re judicata.

32. Iidem AA. & CC. Cyrillo.

SI[18] cauſa cognita prolata ſententia, ſicut jure traditum eſt, appellationis vel in integrum reſtitutionis ſolennitate ſuſpenſa[19] non eſt, ſuper[20] judicato fruſtra tranſigi, non eſt opinionis incertæ: Proinde[21] ſi non Aquiliana ſtipulatione & acceptilatione ſubſecuta competentem tibi actionem peremiſti, Præſes provinciæ uſitato more legum rebus pridem judicatis effectum adhibere curabit. S. 8. Kal. Nov. CC. CONSS. 294.

De evictione.

33. Iidem AA. & CC. Euchruſio.

SI pro fundo quem petebas, *prædium certis finibus liberum*[22] *dari* transactionis cauſa placuit, nec eo tempore minor annis vigintiquinque fuiſti, licet[23] hoc prædium obligatum poſt, vel[24] alienum pro parte fuerit probatum: inſtaurari deciſam litem prohibent jura[25]. Ex ſtipulatione ſane, *ſi placita ſervari*, ſecuta eſt: vel, ſi non interceſſerit, præſcriptis[26] verbis actione civili ſubdita apud Rectorem provinciæ agere potes. Si[27] tamen res ipſas apud, te conſtitutas, ob quarum quæſtionem litis interceſſit deciſio, fiſcus vel alius a te vindicavit: nihil petere potes. S. 5. Id. Novemb. *Melantiadæ*, CC. CONSS. 294.

De adminiſtratæ tutelæ obligatione. De hereditatis pollicitatione.

34. Iidem AA. & CC. Cyrillo & Ptolomaidi.

CUm donationis, ſeu[28] transactionis cauſa adminiſtratæ tutelæ debiti ſcientes vos obligationem fratri veſtro remiſiſſe proponatis, nec unquam volentibus[29] dolus intervenit: fruſtra de dolo queriminini. Nec ad implendum promiſſum hereditatis propriæ pollicitatione[30] quiſquam adſtringitur. PP. 6. Idus Novemb. CC. CONSS. 294.

De præſentia amicorum & de metu.

35. Iidem AA. & CC. Hammoni.

TRansactionem, quæ domini translatione vel actione peracta[31] ſeu perempta, finem accipit: cum eas amicis[32] etiam intervenientibus[33] re vera oſtenditur proceſſiſſe, metus velamento reſcindi poſtulantis profeſſio detegit improbitatem. S. 9. Kalend. Decemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 294.

Si quid convenit, nec datum ſit, nec offeratur.

36. Iidem AA. & CC. Achillæ.

SI major annis vigintiquinque tranſegiſti, quamvis dari tibi placita repræſentata[34] necdum probentur, nec offerant hi qui conveniuntur[35] quid amplius ab his exigi poſſit, exceptionis proficit æquitas. S. 6. Id. Decemb. CC. CONSS. 294.

De ſtipulatione pœnali.

37. Iidem AA. & CC. Baſilicæ.

PRomiſſis[36] transactionis cauſa non impletis, pœnam[37] in ſtipulationem deductam, ſi contra factum fuerit, exigi poſſe conſtat. S. 12. Kal. Jan. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 294.

Quomodo tranſigitur.

38. Iidem AA. & CC. Theodotioni.

TRansactio[38] nullo[39] dato, vel retento[40], ſeu promiſſo minime procedit. S. 8. Kalend. Januar. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 294.

De pœnitentia.

39. Iidem AA. & CC. Martianæ.

QUamvis[41] cum, qui pactus eſt, ſtatim[42] pœniteat[43], transactio [tamen] reſcindi, & lis inſtaurari non[44] poteſt: & qui tibi ſuaſit, intra certum tempus licere a transactione recedere, falſum adſeveravit. S. Kal. Januar. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

De pœna.

De ſcriptura. De Aquiliana ſtipulatione, & acceptilatione.

40. Imppp. GRATIAN. VALENT. & THEOD. AAA. Eutropio P. P.

UBi pactum[45] vel transactio ſcripta eſt, atque Aquilianæ ſtipulationis, & acceptilationis vinculis firmitas juris innexa eſt: aut ſubſecutis [illegible] leges [illegible] eſt conſenſus, [illegible] una cum his, quæ data[47] probantur, ante cognitionem cauſæ (ſi adverſarius hoc maluerit) inferenda eſt. Dat. 3. Non. Jun. *Conſtantinop.* EUCHERIO & SYAGRIO CONSS. 381.

De jurejurando.

41. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Rufino P. P.

SI[48] quis major[49] annis [vigintiquinque] adverſus pacta vel transactiones nullo cogente imperio[50], ſed libero arbitrio, & voluntate confectas putaverit eſſe veniendum, vel[51] interpellando Judicem, vel ſupplicando Principibus, vel non implendo promiſſa: eas autem, *invocato*[52] *Dei omnipotentis nomine*, eo auctore ſolidaverit:

1 Καὶ ἐν ὑπομνήμασιν καὶ χωρὶς ὑπομνημάτων καὶ ἐγγράφως, καὶ ἀγράφως, id eſt, & apud acta, & ſine actis: & ſcriptura, & ſine ſcriptura transactio facta ſtabilis eſt, *Synopſ. Baſil.* 11. *tit.* 2. *c.* 36. & 1. Harm. 10. §. 2. 2 Transactio extra judicium fieri poteſt. 11. *Ecl.* 2. *c.* 36. 3 Transactio ſcripturam non requirit. *l.* 5. *in fin.* 𝔖. *h. t.* quæ ſcripturam non exigant, dixi *in l.* 17. *ſupr. de pact.* 4 Hoc ſæpe evenit in transactionibus. *l.* 37. 𝔍. *h. t.* 5 Transactio ſcriptura munita ex ſtipulatu actionem parit. 6 Caſus, Præſta quod transactione te mihi dare oportet, *actio.* Tibi non teneor, pactum enim nudum interceſſit, quod actionem non parit. *Exceptio:* Atqui parum te juvat iſta exceptio, cum dolo facias fidem non adimplens, *replicatio:* Promiſſor tenetur. *Deciſio:* adde *l.* 21. 𝔖. *de pact. l.* 27. *ff. de inoff. teſtam. l.* 33. 𝔍. *h. t.* 7 *Synopſ. Baſil. h. t. c.* 30. 8 i. e. Inſtrumentorum. 9 Generalis transactio propter inſtrumenta de novo reperta non reſcinditur. Generalis eſt, quoties rerum omnium nomine debitori fit acceptilatio: aliud erit, ſi acceptilatio fit rei certæ ac ſpecialis. *l.* 1. *in fin.* 𝔍. *de reb. cred.* aut ſi coactus a judice tibi accepto tuli. *l.* 31. *ff. de jurejur. l. ult.* 𝔍. *de reb. cred.* aut ſi inſtrumenta mihi ſubtraxiſti. *l.* 19. *ſupr. h. t.* aut ſi ex falſis inſtrumentis fit transactum. *l. pen.* 𝔍. *h. t.* alios caſus addidi *ad l.* 19. hoc addendum, quamvis transactionem juſta de cauſa a Principe reſcindi poſſe. *l.* 27. *ff. de pœn.* adde *l.* 16. 𝔖. *h. t.* 10 *l.* 18. 𝔍. *de rei vind.* 11. *Ecl.* 2. *c.* 36. 11 Qui dolum commiſit, transactionis reſciſſionem petere non debet. *l.* 20. *ff. h. t. l.* 2. §. 3. *ff. ad SC. Velleian. l.* 134. *in fin. ff. de reg. jur.* vid. *l.* 4. 𝔍. *de revoc. don.* 12 Turpe enim eſt allegare turpitudinem ſuam. Bartolus *ad l. jusjurandum.* §. *procurator. num.* 3. *ff. de jurejur.* & ibidem Jaſon. *num.* 31. *cum ſeq.* Grammaticus *conſil.* 45. Tiraquel. *de utroque retract. tit.* 1. §. 1. *gloſſ.* 9. *num.* 67. & *latiſſ. gloſſ.* 18. *num.* 20. 24. 25. & 27. & *gloſſ.* 14. *n.* 46. Decius *conſ.* 14. *col. final.* & *conſil.* 587. *num.* 10. Cravetta *conſ.* 125. *num.* 6. Mod. 13 Περὶ μιᾶς αἰτίας. 14 Id eſt, de una re, *Synopſ. h. t. c.* 39. & 2. Harm. 10. §. 20. ut certum ſit hic idem quod unum. *dixi ad l.* 24. *ſupr. h. t.* 15 11. *Ecl.* 2. *c.* 30. 16 Transactio generalis non extenditur ad ea, de quibus veriſimiliter non eſt transactum, *ut hic*, quid enim ſi quis de depoſito tranſegit, mutui autem actionem habebat. v. 1. Har. 10. §. *ult.* 17 Notant hic Doctor. clauſulam generalem trahi ad ſpecificata. Afflictus *deciſ.* 285. Alexand. *conſil.* 117. *lib.* 1. Jaſon. *ad l. qui Romæ.* §. *duo fratres. ff. de verbor. obligat. num.* 47. Curtius Jun. *conſil.* 101. *n.* 2. Mod. 18 *Syn. Baſ. h. t. c.* 40. & 1. Har. 10. §. 4. *l.* 4. *C. Greg. h. t.* 19 *l.* 7. *in pr. ff. h. t.* aut ignoretur an ſit judicatum. *l.* 11. *ff. h. t.* 20 Super judicato non ſubſequuta appellatione fruſtra tranſigi, non eſt opinionis incertæ. *l.* 4. *C. Greg. h. t.* judicatum eſt res certa. Tranſigitur autem de re dubia: ideoque ſuper judicato non poteſt tranſigi. 11. *Ecl.* 2. *c.* 40. & *l.* 23. §. 1. *ff. de cond. indeb.* poteſt tamen res adjudicata donari. Paul. 1. *ſent.* 1. §. *ult.* 21 Id eſt, quia, Donellus *hic n.* 27. 28. & *ſeq.* 22 Id eſt, non pignoratum. 23 Id eſt, licet is fundus ſit evictus: hinc collige, ratione evictionis non reſcindi transactionem, dari tamen actionem præſcriptis verbis. adde *l.* 28. *ſupr. h. t.* vid. omnino Joſ. Ludovicum *deciſ.* 101. 24 Duæ quæſtiones hinc naſcuntur: an ſi prædium, (quod transactionis cauſa datum eſt) vel obligatum vel alienum fuerit, reſolvi poſſit transactio, eo petente, cui talis fundus datus fuerit transactionis cauſa. 25 Adi Alexand. *ad l. naturaliter.* §. *nihil commune. ff. de acq. poſſeſſ.* Cremenſ. *ſingul.* 131. Cœpol. *conſ.* 133. *num.* 81. 1. *part.* Alciatum *lib.* 5. *parad. cap.* 7. Coraſium *lib.* 2. *Miſcell. cap.* 10. porro quod opponitur huic noſtræ legi *l. naturalis.* §. *quod ſi. ff. de præſcript. verbis.* ad hoc reſpondetur: Aut ex facto meo tibi aliquid abeſt, & tunc datur actio præſcriptis verbis: Aut nihil tibi abeſt, & tunc datur de dolo actio. *Mod.* 26 Quia pro fundo quem petebas, fundus tibi promiſſus evictus eſt. Eſt autem contracta hic permutatio. 27 Senſus eſt, Si fundus, quem a Titio petebas, re ipſa tibi reſtitutus, & is poſtmodum ab aliquo ſit evictus, nullum habes regreſſum adverſus eum, qui reſtituit. 28 Liberatio fit interdum donatione, interdum transactione. 29 Sciens & volens non decipitur: ideoque nec de dolo poteſt conqueri. *l.* 1. *in fin. ff. de action. empt. l.* 3. §. 5. *ff. de homine libero.* vid. *l.* 109. *l.* 145. *ff. de reg. jur.* hinc colligunt, venditori ſcienti verum rei ſuæ pretium non competere remedium *l.* 2. 𝔍. *de reſcind. vendit.* qua de re vide plura apud Rolandum a Valle 1. *conſil.* 59. *num.* 10. & *ſeq.* 30 Pollicitatione hereditatis nemo adſtringitur. vid. *l.* 30. 𝔖. *de pact.* adde *l.* 61. *ff. de verb. obl.* adde *l.* 25. 𝔖. *h. t.* vento paſcit creditorem, qui hereditatem ſuam ei pollicetur. 31 Pacta. *Hal.* 32 Non præſumitur decipi, qui præſentibus amicis tranſegit, ὅπου φιλία ἐστὶν οὐ βία πραγματεύεται. 1. *Harmen.* 10. §. 13. Amicorum præſentia, ſecuritatis, conſilii ac judicii teſtimonium eſt. De hac præſumptione, vid. Alciat. 1. *præſumpt.* 61. plane ſi unus tantum intervenerit amicus, aliud eſſe dicendum exiſtimat Tiraquellus, *in l. ſi unquam* 8. *in verb. Suſceperit liberos.* 𝔍. *de Revoc. don. n.* 238. 33 Hippolytus de Marſil. intelligit hoc locum habere, ubi non agitur de commodo eorum, ſed alterius tertii. Bartolus *ad l. viduæ. C. de nupt.* Cotta *in Memorab. in verb. contractus.* Tiraquel. *poſt leges connub. gloſſ.* 5. *num.* 37. & *ſeq.* porro idem quod amicorum, operatur præſentia honeſtorum virorum, & decretum judicis: Caſtrenſis hic & confirmatio ſuperioris ſupplet defectum formæ, ſolennitatis, perſonæ, & alios defectus ſecundum Baldum *ad l. fin. ff. de teſt. tut.* Hippol. *ſing.* 75. Mod. 34 Id eſt, oblata, *Syn. Baſil. h. t. c.* 44. & 1. Harm. 10. §. 7. 35 In contractum transactionis, tanquam ſtricti juris, non veniunt uſuræ a tempore moræ. *l.* 13. 𝔍. *l.* 32. §. 2. *ff. de uſur.* 11. *Syn. Baſil.* 2. *c.* 44. 1. Harm. 10. 36 *Synopſ. Baſil. h. t. c.* 45. *in pr.* 37 Reo transactionis promiſſum non implente, pœna promiſſa poteſt ab eo exigi. Quid ſi pœna non fuit promiſſa? aliud. *l.* 5. 𝔖. *h. t. l.* 6. 𝔍. *de contr. ſtip.* 38 *Syn. Baſil.* 10. *c.* 45. *in fin.* & 1. Harm. 10. §. 1. 39 *l.* 21. 𝔖. *h. t. l.* 1. *in fin. ff. h. t.* adde *l.* 3. *in fin.* 𝔍. *de repud. vel abſtin.* dixi *ſupr. in Epigraphe:* adde 11. *Ecl.* 2. *c.* 45. *in fin.* 1. Harm. 10. *in pr.* 40 Utrumque; unde colligunt transactionem eſſe contractum nominatum, adde quæ ſcripſi *l.* 39. 𝔍. *h. t.* 41 *Syn. h. t. c.* 27. 42 Adde *l.* 5. 𝔍. *de obl. & act. l.* 12. *in fin.* 𝔍. *de contr. empt.* 43 11. *Syn. Baſil.* 2. *c.* 47. 1. Har. 10. *in fin.* adde *l.* 3. 𝔍. *de reſc. vend.* 44 Transactionem contractum eſſe nominatum hinc colligitur: qui ſi innominatus eſſet, revocari poſſet, *l. dedi.* 3. *ff. de condict. cauſa data*; *l. ſi quis.* 49. *ff. de pact.* adde *l.* 38. *ſupr. h. t.* Bartolus hoc eſſe verum exiſtimat: verum ſpeciale liberationis minuendarumque litium favore eſſe ſubjicit. Alii dicunt reum pœnitentem admitti re adhuc integra, *l. ſicut.* 5. 𝔍. *de obl. & act.* adde Coraſ. 1. *Miſcell.* 25. 45 Vid. ad legis hujus intelligentiam Molinæum *in labyrintho de divid. & individ. part.* 2. *n.* 579. & Menochium *de arbitr. jud. l.* 1. *q.* 16. Mod. 46 *Debita ex ſtipulatione. l.* 37. *ſupr. h. t.* 11. *Ecl.* 2. *c.* 48. 47 *l.* 14. 𝔖. *h. t. l.* 41. 𝔍. *eod. l.* 16. *ff. h. t. l.* 23. *in fin. ff. de cond. indeb.* Paul. 1. *ſent.* 1. §. 3. 48 *l.* 8. *C. Theod. de pact. & tranſ. l.* 2. 1. Harmen. 11. §. 11. *Syn. Baſil.* 11. *tit.* 2. *c.* 49. hanc legem nimis duram eſſe refert Rol. a Valle 1. *conſ.* 57. *n.* 46. 47. Ideoque vix uſu vel praxi obtinere, aut ſaltem locum non habere, niſi concurrant & verificentur omnia, quæ hic continentur. Requiritur autem ut contraveniens ſit major, ut qualitas ætatis allegetur, ut contractus nullo cogente imperio ſit initus, ut juratus ſit, ut de rei circumventione & dolo conſtet. 49 Hac voce etiam comprehenduntur mulieres. Tiraquell. *de retract. gentilitio* §. 1. *gloſſ.* 9. *n.* 213. Idem tamen *in l. ſi unquam.* 8. *in verb. Revertatur. n.* 239. 𝔍. *de revoc.* tradit hanc legem locum adverſus tertium non obtinere, ſi unus tranſigentium rem vendiderit. 50 Adi, quia multum hæc aliaque hujus legis controverſa ſunt, Decium *conſ.* 452. Alexand. *conſil.* 131. *lib.* 4. Curt. Sen. *conſil.* 43. *num.* 1. Cephal. *conſil.* 192. *num.* 17. & *conſil.* 265. *num.* 2. Bolog. *conſil.* 28. *num.* 3. Plot. *ad l. ſi quando. num.* 543. *unde vi.* Jaſonem *conſil.* 118. Cravettam *conſ.* 182. *num.* 16. Cornel. *conſil.* 266. Cagnolum *tom.* 1. Portium *lib.* 2. *regul. concluſ.* 10. Contium *ad leg. Jul. Majeſt. pag.* 28. Guterium 1. *part.* 2. *reſol. cap.* 61. *num.* 31. & *ſeq.* Rainaldum Corſum *lib.* 3. *indag. cap.* 9. materiam autem perjurii habes tractatam a Julio Claro §. *perjurium.* Mod. 51 Nota modos, quibus quis peccat in non implenda transactione. 52 Eo nomine datur exceptio jurisjurandi. vid. Olden. *c.* 38. *de except.* juramento excludi facultatem moræ purgandæ hinc colligitur: aliud tamen eſſe jure canonico. *gloſſ.* 32. *q.* 1. *c.* 2. Romanus *ſingular.* 446.

non

non[1] ſolum notetur infamia[2], verumetiam actione privatus[3] reſtituta pœna[4], quæ pactis probatur inſerta, & rerum proprietate careat, & emolumento, quod ex pactione vel transactione illa fuerit conſecutus: Itaque omnia eorum mox commodo deputabuntur, qui intemerata pacti jura ſervaverint. † Eos etiam hujus legis vel jactura[5] dignos eſſe jubemus, vel munere[6], qui nomina noſtra placitis inſerentes, *ſalutem*[7] *Principum*, confirmationem initarum juraverint eſſe pactionum. Dat. 5. Idus Octobr. *Conſtantinop.* OLYBRIO & PROBINO CONSS. 395.

De falſo. De jurejurando.

42. Impp. LEO & ANTHEM. AA. Acrochirio P. P.

SI[8] ex falſis inſtrumentis transactiones vel pactiones[9] initæ fuerint, quamvis[10] jusjurandum[11] [de] his interpoſitum ſit, etiam civiliter falſo revelato, eas retractari præcipimus: ita demum, ut, ſi[12] de pluribus cauſis vel capitulis eædem pactiones ſeu transactiones initæ fuerint, illa[13] tantummodo[14] cauſa vel pars retractetur, quæ [ex] falſo inſtrumento compoſito[15] convicta fuerit: aliis[16] capitulis firmis manentibus[17]: niſi forte etiam de[18] eo, quod falſum dicitur, controverſia orta deciſa ſopiatur. Dat. Kalend. Jul. *Conſtantinop.* MARTIANO & ZENONE CONSS. 469.

De quæſtione ſuper ſervili vel adſcriptitia conditione.

43. Imp. ANASTASIUS A. Thomæ P.F. P. per Illyricum.

JUbemus in omnibus litigiis jam motis & pendentibus, ſeu poſtea ſuper ſervili vel adſcriptitia[19] conditione movendis, transactiones celebrandas, vel jam celebratas (ſi non alio juri cognito modo eas vacillare contigerit) vires ſuas obtinere: nec ob hoc videri tenorem earum titubare, quod pro conditione ſervili vel adſcriptitia confectæ ſunt. Dat. 15. Kalend. Decemb. PATRICIO & HYPATIO CONSS. 503.

TIT. V.
DE[20] ERRORE CALCULI[21].

1. Impp. DIOCL. & MAXIM. AA. & CC. Aureliano Quarto.

ERrorem calculi[22], ſive ex uno contractu, ſive ex pluribus emerſerit, veritati non afferre præjudicium, ſæpe conſtitutum eſt: unde rationes etiam ſæpe computatas denuo[23] tractari poſſe, ſi res judicatæ[24] non ſunt, vel transactio[25] non intervenit, explorati juris eſt. Sed & ſi[26] per errorem calculi velut debitam quantitatem, cum eſſet indebita, promiſiſti, condictio liberationis tibi competit. Dat. 6. Kal. Mart. AA. CONSS. 287.

TIT. VI.
DE POSTULANDO[27].

De prohibitione judicis.

1. Imp. ANTONINUS A. Artemidoro.

CUm a præfecto Ægypti perpetuo[28] cauſas agere prohibitus non appellaveris, placitis obtempera. PP. 3. Kalend. Aug. SABINO II. & ANULINO CONSS. 217.

De libertis.

2. Imp. ALEXANDER A. Polydoro.

NEc cæterorum liberti[29], nedum mei quidem, ſi ita ſunt literis eruditi[30], ut patrocinia deſiderantibus præſtare poſſint, prohibentur id facere. PP. Non. Mart. JULIANO II. & CRISPINO CONSS. 225.

Si cauſa, ob quam promiſſum eſt, non ſequatur.

3. Imp. GORDIANUS A. Flaviano.

SI[31] ſub ſpecie honorarii[32], quod advocato usque ad certum[33] modum deberi potuiſſet, eam quantitatem, quam deſiderio tuo complecteris, te daturum caviſti: & quaſi mutuam pecuniam acce- piſſes, eam te redditurum promiſiſti, nec temporis ſpatio, geſto negotio conſenſum ac fidem accommodaſti: competenti exceptione non numeratæ pecuniæ tutus es, & ex hac cauſa cautionem interpoſitam, uſitato more potes condicere. PP. 5. Id. Jun. SABINO II. & VENUSTO CONSS. 241.

De abſentia patroni.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Theodotioni.

VElamento abſentis[34] patroni cauſæ rurſus ad finitas quæſtiones redire quis fruſtra conatur. S. 4. Kal. Januar. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 294.

Pactum de quota litis.

5. Imp. CONSTANT. A. Helladio.

SI qui advocatorum, exiſtimationi[35] ſuæ immenſa atque illicita compendia prætuliſſe ſub nomine honorariorum ex[36] ipſis negotiis, quæ tuenda ſuſceperint, emolumenta ſibi certæ[37] partis cum gravi damno litigatoris & deprædatione poſcentes fuerint inventi: placuit ut omnes, qui in hujuſmodi ſævitate[38] permanſerint, ab hac profeſſione penitus arceantur. Dat. 3. Kal. April. PAULINO & JULIANO CONSS. 325.

De officio advocati.

6. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Olybrium Præf. urb.

QUisquis[39] vult eſſe cauſidicus, non idem in eodem negotio ſit advocatus[40] & judex: quoniam aliquem inter arbitros & patronos oportet eſſe delectum. §. 1. Ante omnia autem univerſi advocati ita præbeant patrocinia jurgantibus: ut non ultra quam litium poſcit utilitas, in licentiam conviciandi[41], & maledicendi temeritatem prorumpant: agant, quod cauſa deſiderat: temperent ſe ab injuria. Nam ſi quis adeo procax fuerit, ut non ratione[42] ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patietur, nec enim conniventia commodanda eſt, ut quiſquam negotio derelicto in adverſarii [ſui] contumeliam aut palam pergat, aut ſubdole. §. 2. Præterea nullum[43] cum[44] eo litigatore contractum, quem in propriam recipit fidem, ineat advocatus: nullam conferat pactionem. §. 3. Nemo ex his, quos licebit accipere, vel decebit, aſpernanter habeat, quod ſibi ſemel officii gratia libero arbitrio obtulerit litigator. §. 4. Apud urbem autem Romanam etiam honoratis, qui hoc officium putaverint eligendum, eo usque liceat orare, quousque maluerint, videlicet ut non ad turpe compendium ſtipemque deformem hæc arripiatur occaſio, ſed laudis per eam augmenta quærantur. Nam ſi lucro[46] pecuniaque capiantur: veluti abjecti atque degeneres inter viliſſimos numerabuntur. §. 6. Quisquis igitur ex his, quos agere permiſimus, vult eſſe cauſidicus: eam ſolam quam ſumet tempore agendi, ſibi ſciat eſſe perſonam quousque cauſidicus eſt: Nec[47] putet quiſquam honori ſuo aliquid eſſe detractum, cum ipſe neceſſitatem elegerit ſtandi[48], & contempſerit jus ſedendi. PP. 10. Kalend. Septemb. VALENTINIANO & VALENTE AA. II. CONSS. 368.

De æquitate in advocatis concedendis ſervanda.

7. Iidem & GRATIANUS AAA. ad Olybrium Præf. urbi.

PRovidendum eſt, ne[49] hi, quos in foro aut meritum nobiliſſimos[50] fecerit, aut vetuſtas, in una parte conſiſtant, aliam a rudibus atque tyronibus neceſſe ſit ſuſtineri: atque ideo ſi in uno auditorio duo tantum præ cæteris fuerint, vel plures, quorum fama ſit hilarior: in judicantis officio ſit, ut par cauſidicorum diſtributio[51] fiat: & exæquetur partibus auxilium ſingulorum: & æqua diviſio procedat. Si quis vero monitus a judice, ea excuſatione, quæ nequeat comprobari, cuicunque

1 Nota recedentem a transactione jurata quatuor pœnis ſubjici: fieri infamem, actionem amittere, pœnam promiſſam luere, & accepta reſtituere. 2 A transactione jurata recedens notatur infamia. 1. *Ecl.* 2. *c.* 49. & 1. Harm. 10. & 2. *C. Th.* 9. 3 Vid. *l.* 1. §. 2. 𝔍. *de aſſertione tollenda.* 4 Vid. *l.* 40. 𝔖. *h. t.* 5 Hoc reſpicit perjurum ipſum. 6 Hoc referendum ad eum, cui pœna & multa ejus, qui pejeravit, lucro cedit. 7 *Per ſalutem Principum* veteres jurabant, etiam Chriſtiani, nunquam vero per *Principis genium.* Tertullianus *c.* 32. *Apologetici*, ſicut non juramus per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ auguſtior eſt omnibus geniis. Ita Polycarpum juſſum a proconſule per Genium Cæſaris jurare legimus. Euſeb. 3. *hiſt. Eccl.* 14. juraſſe quoque veteres per Principum venerationem conſtat, ex *l.* 2. 𝔍. *de reb. cred.* 8 Adde 𝔍. *Si ex falſis inſtrumentis.* 9 Cujacius *lib.* 6. *obſervat. cap.* 11. Menochius *de arbitr. Jud. l.* 2. *caſu* 15. Joann. Aurpachus *l.* 1. *ep. c.* 11. Mod. 10 Transactio ex falſis inſtrumentis interpoſito jurejurando confirmari non poteſt, *ut hic:* adde *l. ult. infr. de non numerata pecunia.* 11 11. *Syn. Baſil.* 2. *c.* 2. *vel* 50. 12 Tranſigere de pluribus cauſis & capitulis ſimul poſſumus. 13 Vid. *l.* 5. *in fin.* 𝔖. *de leg. Novell.* 51. *in princ.* 14 Utile per inutile non ſemper vitiatur. vid. *l.* 20. *ff. de uſuris.* 15 A nonnullis codicibus hæc vox abeſt. 16 Jurata transactio eatenus reſcinditur, quatenus prætextu falſorum inſtrumentorum facta eſt. 17 Utile per inutile non vitiatur, vid. quæ ſcripſi ad *l.* 12. 𝔍. *de teſtam.* 18 Hic caſus eſt diverſus a ſuperiori, aliud eſt enim ex falſo inſtrumento tranſigere, aliud de eo quod falſum dicitur. vid. Cujac. 6. *obſerv.* 31. 19 Hinc tamen colligit Cujac. 6. *obſ.* 11. & 19. *obſ.* 39. de falſo, jure tranſigi poſſe, *l.* 18. *ſupr. h. t.* Hotomanus vero 11. *Illuſtr.* admittere id videtur, ſi criminaliter agitur, non ſi civiliter, *l.* 7. *ſupr. h. t. l.* 15. *l.* 16. *l. pen. l. ult. infr. ad leg. Corn. de falſ.* de ea re dicam *ad l.* 7. *infr. ad leg. Corn. de falſis.* vid. plura apud Cujac. 12. *obſ.* 35. adde *l.* 3. *in fin. ſupr. h. t.*

20 11. *Eclog.* 2. *c.* 52. & 53. *tit.* 3. & *lib.* 11. *tit.* 2. *c.* 52. vid. *edict.* 9. *c.* 2. *in fin.* 21 *Syn. Baſil.* 11. *tit.* 2. *cap.* 52. 22 Id eſt, computationis, quæ ſæpiſſime in tranſigendo accidit. 23 Sæpe computatæ rationes denuo tractari poſſunt, etiam inter mercatores, quamvis peritos numerandi, quantumvis res ſit minima: ut enim reſcindatur calculus, non eſt quærenda læſio ultra dimidium, niſi judicatum ſit aut transactum. vid. Molinæum *de uſur. quæſt.* 14. *num.* 182. Roland. a Vall. 1. *conſ.* 49. *num.* 49. alias rationi & calculo ſtari debet, niſi de errore probetur. Ferrar. *in forma, ut pacta ſerv.* 36. *ibi, diſcuſſ.* 2. *num.* 4. 24 Nec ſententia, nec transactio revocatur ob errorem calculi. Imo res judicata revocatur, *l.* 1. §. 1. *ff. quæ ſent. ſine appell.* Solve: ſi error calculi in ſententia non exprimitur, non poteſt revocari. vid. Oldendorp. *cap.* 26. *de ſententia & re judicata.* vid. *hic* Bald. 25 Imo error impedit transactionis effectum, *l. obligationum.* 3. §. 1. *ff. de oblig. & act.* & ita Raguerius putat. Alii valere transactionem errore factam cenſent: etiamſi error exprimatur: *arg. l. ſed & ſi quis.* 4. *in princ. ff. ſi quis cautionib. l. ſi quis poſtquam.* 37. *ff. de fidejuſſ. & mandat.* & *ita* Petrus Butrig. & Bart. 26 *Synopſis h. t. cap.* 52.

27 *L.* 3. *D.* 1. 2. *C. Th.* 17. 1. *Extr.* 37. adde 8. *Synopſ. Baſil.* & Lucium 5. *placit.* 1. 28 *l.* 1. §. 13. *ff. de off. præf. urb. l.* 9. *in princ. ff. de pœnis.* 29 Liberti poſtulare poſſunt, ut hic, ſive Principis, ſive privatorum: at non ſervi. 30 In patrono requiritur eruditio, *l.* 7. *infr. de profeſſ. & medicis:* adſeſſore *l.* 2. *ff. de off. adſeſſ.* At in judice, vid. *l.* 1. *ſupr. de off. adſeſſ.* vid. quæ dicam *ad l. pen.* 𝔍. *de judic.* huc pertinet illud Ammiani 30. Adverſus imperitos advocatos: *E quibus*, inquit, *ita ſunt rudes aliqui, ut nunquam ſe Codicem habuiſſe meminerint, & ſi in circulo doctorum autoris veteris inciderit nomen, piſcis aut edulii peregrinum nomen arbitrantur.* 31 Qui advocaturo ſibi, de iis, quæ advocationis nomine debiturus eſt, quaſi ex mutui cauſa caverit, non numeratæ pecuniæ exceptione utatur, niſi tempus præterierit, & cautionem ſuam condicat, *Synopſ. Baſil.* 10. *cap.* 13. 32 Libros a typographo ipſorum auctori pro corollario deberi, hinc Hotomanus colligit *conſil.* 3. 33 Id eſt, centum aureos, vid. *l.* 1. §. 12. *in fin. ff. de extraord. cognit.* vid. Lucium 5. *Placitor.* 1. *arreſt. ult.* 34 Abſentia advocati non vitiat ſententiam. dixi ad *l.* 1. 𝔍. *de repud. bon. poſſ.* adde *ſpeciem l.* 6. 𝔍. *de revocand. donat.* 35 Exiſtimatio, id eſt, honor compendio pecuniario præfertur. 36 Τῆς δίκης μοῖραν, hoc eſt, de accipienda poſt victoriam certa parte litis. *Synopſ. h. t. c.* 11. Hi non jure cauſæ, ſed fundorum, pecorum & mancipiorum qualitate, ratione tractata, clientum præcipua poſcere dicuntur coacta pactione, *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 37 Advocato, *ut hic*, *l.* 53. *ff. de pact. l.* 1. §. 12. *ff. de extraordin. cognit.* 8. *Eclog.* 1. *cap.* 15. *l.* 6. §. 2. 𝔍. *h. t.* procuratori, *l.* 53. *ff. de pact.* de quota litis paciſci non licet: ſunt enim conſceleratæ hujuſmodi pactiones, *l.* 1. *C. Theod. h. t.* De hujuſmodi ergolabis litium, vid. Cujac. 8. *obſ.* 31. 38 Scævitate. 39 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* 40 In eodem negotio meo advocatus & judex, *l.* 14. 𝔖. *de adſeſſor. & domeſt. l.* 5. *ff. de off. adſeſſ. l.* 17. *ff. de juriſdict.* quod olim prohibitum non fuit, Plin. 3. *epiſt.* Poſſis & hoc addere, advocatum meum mihi teſtem eſſe non poſſe. vide Wurmſerum 1. *pract.* 4. *obſ.* 1. *Synopſ. Baſil. h. t. cap.* 17. 41 Hinc illud Ammiani 30. cum ad inopiam venerunt allegationum, ad effrænatam deflectunt conviciandi licentiam: quo nomine ob aſſidua in perſonas honorabiles probra diebus dictis ſunt damnati. 42 Ratione, non probris certandum. 43 Nullum neque pactum, neque contractum de lite aut mercede. *Synopſ. Baſ.* 1. *cap.* 18. 44 Μετὰ τοῦ οἰκείου πρόσφυγος, cum confugiente ad ſuum patrocinium 8. *Syn.* 1. *d. c.* 18. *ut & c.* 15. 45 De his Ammianus 30. per morborum ſimulationem conſulto ceſſantes, utque pervulgati juris proferatur lectio una, ſeptem vendibiles introitus præparant, dilationum examina longiſſima contexentes. *Moratores dicebantur.* vid. Cujac. 4. *obſ.* 40. 46 Αἰσχροκερδία in advocato turpis, ut & alias in Epiſcopo, 1. *Timoth.* 3. *verſ.* 3. *ad Titum* 1. *verſ.* 7. in philoſopho, *l.* 8. §. 4. *ff. de vacat. mun. l.* 1. §. 5. *ff. de extr. cognit.* 47 Judex honori ſuo nihil detrahit, cum poſtulat, & advocati munere apud aliquem judicem fungitur. 48 Stat advocatus, ſedet judex, vid. *l.* 3. *infr. ubi ſenatores vel clariſſ.* Tam eſt honeſta cauſidicina, ut ea fungi judici non ſit inhoneſtum. 49 Judex cauſidicos ex æquo partibus tribuat, ut non in una parte eruditi, in altera rudes & inexercitati reperiantur, *Synopſ. h. t. c.* 22. 50 Advocatos eſſe nobiles hinc quidam colligunt, quod hic non dicitur. Alii colligunt, ſcientiæ vetuſtatem homines nobilitare. Sed verius eſt has particulas, nobiliſſimos, præſtantiſſimos, excellentes & primos ſignificare, & ita nobilis & nobiliſſimus dicitur apud Ciceronem, 1. & 2. *de Oratore.* 2. *de fin.* & *pro Cluentio:* Macrob. 7. *Saturn.* 15. ſic nobiles ſcelere. Cicero *pro Roſcio Amerino:* virgo nobilis, Horat. 4. *Carm.* Nobiles agri, Ovid. 3. *Amor.* 2. Nobiles feræ, Claud. 3. *panegyr.* Nobiliſſima prædia, Cicer. *pro Roſcio Amerin.* equulei argentei nobiles, Cicer. 6. *in Verrem.* bellum nobile, Horat. adde Tiraquell. *cap.* 2. *de nobilitate.* 51 *l.* 1. §. 4. *ff. h. t. l.* 9. §. 5. *ff. de off. proconſ.*

parti

parti patrocinium denegaverit, careat [1] Foro [2]: ſciat etiam nunquam ſibi ad agendum copiam poſſe reſtitui. Si quis autem ex litigatoribus detectus fuerit ſeparatim tractaſſe [3] cum plurimis, & adverſario ſuo tali fraude ſubtraxiſſe paris defenſionis copiam: oſtendet proculdubio iniquam a ſe litem foveri, & auctoritatem judiciariam a ſe deluſam experietur. Dat. Kal. Mart. *Treveris*, VALENTINIANO & VALENTE AA. utriſque III. CONSS. 370.

De eo, qui non eſt ſacroſanctis Catholicæ religionis imbutus myſteriis.

8. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Nicoſtrato P. P.

NEmo [4] vel in foro Magnitudinis tuæ, vel in provinciali judicio, vel apud quemquam judicem accedat ad Togatorum conſortium, niſi [5] ſacroſanctis Catholicæ religionis fuerit imbutus myſteriis. Sin autem aliquid quoquo modo vel quadam machinatione factum, vel attentatum fuerit: Officium quidem Sublimitatis tuæ centum librarum auri jacturam pro condemnatione ſuſtineat: idem vero, quicumque auſus fuerit contra providum Noſtræ Serenitatis decretum officium advocationis per ſubreptionem arripere, & prohibitum patrocinium præſtiterit, ab advocationis officio remotus, ſtylum proſcriptionis atque perpetui exilii ſpecialiter ſuſtinebit: ſcituris etiam provinciarum Rectoribus, quod is, ſub cujus adminiſtratione aliquid hujuſmodi fuerit attentatum, partis bonorum dimidiæ proſcriptionem, & pœnam exilii per quinquennium ſuſtinebit. Dat. Prid. Kal. April. *Conſtantinop.* ANTHEMIO A. II. COS. 468.

TIT. VII.
DE ADVOCATIS [6] DIVERSORUM JUDICIORUM.

De prævaricatione.

1. Imp. ANTONINUS A. Doloni.

SI patronum cauſæ prævaricatum [7] putas, & impleveris accuſationem, non deerit adverſus eum pro temeritate [8] commiſſi ſententia: atque ita de principali cauſa denuo quæretur. Quod ſi non docueris prævaricatum: & calumnia notaberis, & rebus judicatis, a quibus non eſt provocatum [9], ſtabitur. PP. 3. Kal. Octobr. ANTONINO A. IV. & ALBINO [10] CONSS. 214.

De decurionibus.

2. Imppp. VALENS, GRATIANUS & VALENTIN. AAA. ad Antonium P. P.

QUi neceſſario patriæ [11] ſuæ debent municipio functiones, eos decurionibus aggregatos nolumus evagari [12]: permittentes, ut in negotiis cauſidicorum fungantur officiis, & in civitatibus propriis ſubeant munera curialium; ita tamen [13], ut non [14] contra Rempublicam civitatis, in qua honorem hunc conſecuti ſunt, eis adeſſe permittatur. Dat. 15. Kal. Septemb. *Ravennæ*, VALENTE VI. & VALENTINIANO III. AA. CONSS. 378.

De provincialibus functionibus.

3. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. ad Africanum P. P.

NE [15] quis ex corpore Togatorum [16] [minime curialibus nexibus illigatus] provinciales [17] ſuſcipiat functiones: ſcilicet ut ambientibus claudatur ingreſſus, & invitis neceſſitas auferatur. Dat. 3. Non. Auguſt. *Conſtantinop.* ARCAD. IV. & HONORIO III. AA. CONSS. 396.

De peculio quaſi caſtrenſi.

4. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Euſtathio P. P.

FOri [18] tui Culminis, & univerſorum judiciorum advocati quicquid ex hujuſmodi profeſſione, vel ipſius occaſione quæſierint, id [etiam] poſt patris obitum, præcipuum, veluti [19] peculium caſtrenſe, ad exemplum militum, proprio domino valeant vindicare. Dat. 10. Kalend. April. *Conſtantinop.* DD. NN. HONORIO XIII. & THEODOSIO X. AA. CONSS. 424.

De muneribus necnon privilegiis, & immunitatibus.

5. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Cyro Præf. urbi.

QUicquid animi largitate, & munificentia principali præſtitimus Togatis per Orientem eminentiſſimæ præfecturæ reverentia [20] ſtudiorum: id ſibi præſenti ſanctione præſtitum eſſe cognoſcant patroni cauſarum illuſtris Urbicariæ præfecturæ. Dat. 7. Kal. Jan. *Conſtantinop.* THEODOS. XII. & VALENTINIANO II. AA. CONSS. 426.

6. Iidem AA. ad Florentium P. P.

SAncimus [21], ut advocatis, qui apud tuam Magnificentiam cauſas acturi ſunt, a nullo judice, nec ab ipſa eminentiſſima præfectura ſollicitudo ulla penitus injungatur: Sed nec advocatis provinciarum vel ſpectabilium judicum quiſquam exiſtimet aliquid injungendum. Nulla igitur Togatis inſpectio, nulla peræquatio ingeratur, nulla operis conſtructio, nulla diſcuſſio [22], nullum ratiocinium imponatur, nullum denique aliud [23] eis mandetur, præter arbitrium [24] in [25] eodem dumtaxat loco, ubi advocationis exercent officium: quinquaginta [26] librarum auri [pœna] officio feriendo, ſi legis iſtius regulas temerare tentaverit. Dat. 8. Kalend. Mart. *Conſtantinop.* THEOD. A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

7. Iidem AA. Thalaſſio P. P. per Illyricum.

IIſdem privilegiis, iiſdemque immunitatibus potiri togam [27] illuſtriſſimæ per Illyricum præfecturæ, quibus fruitur toga per Orientem Prætorianæ ſedis excelſæ, decernimus. Dat. 7. Id. Septemb. *Conſtantinop.* THEOD. A. XVII. & FESTO CONSS. 439.

De numero advocatorum. De curiali vel alia viliori conditione. De quaſi caſtrenſi peculio.

8. Iidem AA. Cyro P. P. Conſuli deſignato.

CUm advocatio prætoriana centum quinquaginta [28] numero togatis minime vel minuendo, vel augendo concludatur, jubemus eos, qui ex his ad fiſci patronatum pervenerint, a cohortis [29] vel alterius vilioris conditionis nexibus cum liberis quandocumque [30] genitis liberos cuſtodiri: poſtque tale officium depoſitum, annumque [31] completum, advocatorum conſortio abſcedere cum Comitiva conſiſtoriana: omneque, quod togatis fori Celſitudinis tuæ quolibet caſu, quolibet adquiritur titulo, quaſi [32] caſtrenſe ſibimet vindicare: nec patribus, nec avis paternis earum rerum commodum acquirere, legis iſtius auctoritate decernimus. His omnibus etiam ad Urbicariæ præfecturæ advocationem trahendis. Dat. 3. Kal. Januar. VALENTINIANO A. V. & ANATOLIO CONSS. 440.

De advocato, qui admiſtrationem aliquam peregit.

9. Iidem AA. Apollonio P. P.

SI quis de togatis fori Celſitud. tuæ, vel Illyricanæ, ſeu urbicariæ præfecturæ, ſive de his, qui in provincialibus judiciis cauſarum patrocinium profitentur, electione tuæ Sedis regendæ provinciæ munus poteſtatemque ſuſceperit: poſt peractam integre ac ſine ulla opinionis labe adminiſtrationem, & ad illud officium, unde abſtractus eſt, & unde ſibi vitæ ſubſidia comparabat, remeandi [33] habeat facultatem: nec cauſas orare denuo quadam prohibeatur invidia. Dat. 12. Kalend. Septemb. *Conſtantinop.* EUDOXIO & DIOSCORO CONSS. 442.

De patronis fiſci.

10. Impp. VALENTIN. & MARTIANUS AA. Palladio P. P.

BInos [34], qui priores [35] in tui Culminis ſede inveniuntur ad patronatum fiſci ſingulis quibuscunque annis accedere, paribus [36] dignitatis & privilegiorum inſignibus ambiendos [eſſe] præcipimus, quibus ante hac utebatur is, qui ſolus fiſci creabatur patronus. Dat. 14. Kal. Jul. *Conſtantin.* HERCULANO & ASPORATIO CONSS. 452.

De numero & filiis advocatorum. 1. Quales & quomodo creandi advocati.

11. Imp. LEO A. Viviano P. P.

NEmini licere ſancimus aliquem ſub [37] adſidendi colore ſtatutis centum quinquaginta [38] advocatis, quos ſibi eminentiſſima præfectura in conſilium aſſumpſerit aggregare. §. 1. Non aliter vero conſortio advocatorum tuæ Sedis aliquis ſocietur, niſi [39] prius in examine viri clariſſimi Rectoris provinciæ, ex qua oriundus eſt, præſentibus cohortalibus geſta conficiant, quibus aperte pateat cohortali [40] vitæ ac fortunæ eundem minime ſubjacere. [Atque hæc fieri volumus] ſi præſens vir clariſſimus Rector provinciæ fuerit in ejus examine: ſi vero abfuerit, apud defenſorem ſui oppidi geſta conficiant. Juriſperitos [41] etiam eorum doctores jubemus juratos [42] ſub geſtorum teſtificatione depromere, *eſſe eum, qui poſthac ſubrogari voluerit, peritia juris inſtructum* [43]. Filios [44] autem togatorum Excellentiæ tuæ, qui vel nunc cauſas agunt, vel futuris temporibus actitaverint, cæteris ſupernumerariis anteferri. §. 2. Illud inſuper decernimus, ut etiam his qui ultra centum quinquaginta advocatos Eminentiſſimæ tuæ Sedis reperiuntur, liceat & apud Virum ſpectabilem Proconſulem, vel præfectum Auguſtalem, vel Comitem Orientis, apud viros etiam ſpectabiles Vicarios, & apud Rectores provinciarum negotia perorare. Dat. Kal. Febr. *Conſtantinop.* MAGNO & APOLLONIO CONSS. 460.

De patrono fiſci.

12. Idem A. Euſebio P. P. Illyrici.

SAncimus patronum fiſci judicio Celſitudinis tuæ, non jam quotannis [45], ſed biennio pro vetere conſuetudine finem officii ſui ſortiri: ſalvis eidem conſortio privilegiis omnibus quæ a retro Principibus meruit, manentibus. Dat. 10. Kal. Mart. *Conſtantinop.* BASILIO & VIVIANO CONSS. 463.

De advocatis Alexandriæ, & de advocato fiſci.

13. Impp. LEO & ANTHEMIUS AA. Alexandro Duci Ægyptiaci limitis, & Præfecto Auguſtali.

PEtitionem virorum diſertiſſimorum advocatorum Alexandrinæ ſplendidiſſimæ civitatis, quam de fori ſui matricula, & fiſci patrono obtulerunt, merito admittentes, hac ſanctione decernimus, quinquaginta ſtatutos haberi: eorumque nomina pro tempore matriculæ [46] conficiendæ inſcribi: & eos advocationis officium in judicio tam viri ſpectabilis Præfecti Auguſtalis, quam viri ſpectabilis Ducis Ægyptiaci

1 Poteſt quis etiam ſub pœna muneris & officii amittendi cogi ad patrocinium præſtandum, vid. quæ notavi ad *l.* 156. *in pr. ff. de reg. jur.* adde *Nov.* 17. *c.* 14. 2 De hoc pœnæ genere, ut quis foro abſtineat, vid. *l.* 9. §. 4. *ff. de pœn.* Mynſing. 4. *obſ.* 32. 3 Paul. 5. *ſent.* 25. §. 7. *l.* 38. §. 8. 9. *ff. de pœn.* 4 Hæc lex cum *l.* 15. ℨ. *de Epiſc. aud.* eſt eadem. 5 Hæreticus advocatus eſſe non poteſt, *l.* 15. ℨ. *de Epiſc. aud. Nov.* 144. *c.* 2. *verſ. Præterea.* ut & aliæ permultæ perſonæ. vid. *l.* 9. ℨ. *de diverſ. off. & apparit.*
6 Advocatus eſt, qui in conſilium advocatur: *patronus*, qui cauſam agit. *Aſcon.* Hodie patroni & advocati cauſidici etiam dicuntur, & oratores. Tacit. *lib. de oratorib.* ſed rhetores & togati: munus eorum *cauſidicina*, Ammiano, & *l.* 18. *C. Theod. de decur.* ea forma qua juridicina a Tertulliano *in lib. de Pallio* & indicina ab Apuleio 7. adde Cujac. 4. *obſ.* 40. 7 8. *Synopſ. Baſil.* 1. *cap.* 24. *l.* 11. *infr. de accuſat. l.* 3. §. 13. *ff. de hom. liber. l.* 3. *ff. ad SC. Turp.* adde *l.* 18. §. 1. *ff. de muneribus.* 8 Advocatus prævaricator extraordinarie punitur. vid. Cujac. 6. *obſ. ult.* 9 Prævaricatum, quidam ita legunt. 10 Balbino. 11 Adde *l.* 116. *C. Theod. de decur. lib.* 12. 12 Statuti advocati ſuo foro nunquam excedunt: ſupernumerarii oberrant per fora omnia. vid. Cujac. *hic.* 13 Et merito, eſt enim indignum, ut qui magiſtratum & ſalarium a Republica accipit, contra rempublicam patrocinio fungatur, *l.* 1. ℨ. *de advocat. fiſci.* 14 Imo, contra rempublicam poſſunt, *l.* 6. *l. penult. ff. de poſtul.* Solve: poſſunt pro affine & cognato vel conjuncta perſona: pro aliis non poſſunt. vid. *l.* 13. *infr. h. t.* 15 *l.* 52. *C. Theod. de decurionibus, lib.* 12. 16 Id eſt, advocatorum. 17 Advocatum nedum cogi, ſed ne volentem quidem admitti ad vectigalia exigenda hinc colligunt. 18 Sumpta ex *l.* 2. *C. Theod. de poſtulando l.* 2. 19 Quæſita ab advocatis filiisfamilias ad inſtar quaſi caſtrenſis peculii redacta. *l.* 7. ℨ. *de adſeſſor. & domeſt.* 20 Reverentia literarum contemplatione literatæ militiæ *Nov. Valent. de poſtulando.* 21 Hæc lex deſumpta ex Theod. & Valent. *Nov. de poſtulando & perpetuanda advocatione*, quam P. Pithœus integram edidit. 22 Imo ſollicitudo poteſt injungi, *l.* 3. ℨ. *de diſcuſſ.* 23 Bald. his verbis etiam innui putat advocatos immunes eſſe ab excubiis faciendis. 24 Advocati arbitri dari poſſunt. In Gallia abfuturi præfecti ac judices, regii judicandi munus digniori vel antiquiori advocato ſolent, imo ſi nulli conſiliarii ſint, debent delegare. 25 Extra forum ſuum advocatus patrocinio fungi cogi non debet. 26 Pœnam obſerva eorum, qui violant advocatorum privilegia. 27 Id eſt, togati ſeu advocati. 28 In unoquoque foro certus erat advocatorum numerus, certaque matricula: adde *l.* 11. & *ult.* ℨ. *h. t.* 29 *l. ult.* ℨ. *h. t. l.* 2. ℨ. *tit. proxim.* hinc cohortalis, id eſt, vilis. 30 Vid. *l.* 66. ℨ. *de decur.* 31 Advocati non erant olim perpetui. Paucitas eorum fecit poſtea, ut perpetui fierent. qua de re vid. Cujac. 16. *obſerv.* 22. Annus etiam de quo hic agitur, in biennium mutatus eſt, *l.* 12. ℨ. *h. t.* 32 *l.* 4. ℨ. *h. t.* 33 Advocatus ſi ad officium aliquod aſſumitur, eo finito poteſt ad advocationis officium redire ac reverti. 34 Duo olim fiſci advocati. 35 Fiſci advocatio prioribus advocatis decernenda. 36 Quando una dignitas duobus confertur, in ſolidum confertur. 37 Vetitus conſilium dare, adſeſſor eſſe non poteſt. 38 *l.* 8. ℨ. *h. t.* 39 Adde *l.* 7. ℨ. *de profeſſ. & medic.* 40 Adde *d. l.* 8. 41 Id eſt, profeſſores. *De Juriſconſultorum appellationibus variis*, vid. Cujac. 7. *obſ.* 25. 42 Aſſertioni doctoris ſtatur de peritia diſcipuli *Bald.* 43 Advocatum læſum juris imperitia non reſtitui hinc colligunt. 44 Togatorum filii non togatorum filiis præferendi, *l.* 13. ℨ. *h. t.* 45 Ut olim, *l.* 8. ℨ. *h. t. l.* 3. *in princ. infr. tit. proxim.* 46 Erat certa advocatorum matricula, *l. ult.* §. 2. *verſ. Si quis. in med. ſupr. de adſeſſoribus & domeſt.*

limitis

limitis petentibus adhibere: cæteros vero ultra memoratum numerum conſtitutos, apud alios judices ejusdem Alexandrinæ civitatis perorare: Filiis [1] ſcilicet ſtatutorum in loco deficientium ſupernumerariis anteponendis. Egredientem autem poſt biennium fiſci patronum, contemplatione laborum, exconſularis moderatoris provinciæ dignitate decorari: licentia facultateque ei non deneganda, cum uſus exegerit, tam pro [2] ſe, quam pro filiis, parentibus, & uxoribus, nec non etiam perſonis ex transverſo latere usque ad quartum gradum conſtitutis patrocinium ſuum adhibere. Quando autem fiſci patronum mori contigerit, gradu eum ſequentem ſine ulla dilatione in locum ejus ſubrogari: heredibus defuncti nihil exinde [3] ſibi commodi acquiri poſſe ſperaturis: cunctis privilegiis, quæ hactenus habuiſſe noſcuntur, nec non his, quæ ſuggeſtio tuæ Magnitudinis continet, etiam in poſterum intactis inviolatisque ſervandis: quatenus hujuſmodi delato eis liberalitate noſtræ Serenitatis honore poſſint in otio, & tranquillitate reliquum vitæ ſuæ tempus peragere, nulla eis invitis ingerenda ſollicitudine.

Collatio advocatorum & militum.

14. Iidem AA. Callicrati P. P. Illyrici.

ADvocati [4], qui dirimunt ambigua [5] fata cauſarum [6], ſuæque defenſionis viribus in rebus ſæpe publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non [7] minus provident humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent. Nec enim ſolos noſtro imperio militare credimus [8] illos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, ſed etiam advocatos: Militant [9] namque [10] cauſarum patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam, & poſteros [11] defendunt. Dat. 5. Kal. April. *Conſtantinop.* ZENONE & MARTIANO CONSS. 469.

De privilegiis. 1. De ſalario.

15. Imp. LEO A. Dioſcoro P. P.

POſt duos [12] fiſci patronos, qui ex anterioribus conſtitutionibus iiſdem beneficiis muniuntur, ſexaginta quatuor [13] togatos, qui in præſenti ſunt, a primo usque ad ſexageſimum quartum imperialibus beneficiis perfrui cenſemus, quibus fiſci patroni liberique eorum honorati ſunt. §. 1. His quoque illud adjiciendum eſſe ſtatuimus: ut, ſi quis patroni fiſci adeptus gradum, fatalem diem obierit, univerſa [14] totius anni ſolatia, ex quo hoc idem officium peragere cœperit, ad heredes ſeu ſucceſſores, ſive liberi, ſive extranei fuerint, transmittendi tam ex teſtamento, quam ab inteſtato liberam habeat facultatem. Dat. 17. Kalend. Januar. *Conſtantinop.* FESTO & MARTIANO CONSS. 472.

De privilegiis.

16. Impp. LEO JUNIOR & ZENO AA. Juſtiniano Præf. urbi.

AD ſimilitudinem ſexaginta quatuor [15] advocatorum fori ampliſſimæ prætorianæ præfecturæ, quindecim tantum ex foro tuæ Magnitudinis; qui in præſenti gradus primos obtinent, poſt fiſci videlicet patronum, eisdem privilegiis noſtræ Manſuetudinis beneficio perfruantur, quibus fiſci patroni liberique eorum muniuntur. Dat. 17. Kalend. April. *Conſtantinop.* LEONE JUNIORE A. CONS. 474.

De advocatis præfecturæ per Illyricum, 1. & eorum privilegiis.

17. Imp. ZENO A. Paulo P. P. per Illyricum.

JUbemus advocationem fori tui Culminis centum quinquaginta [16] (ſicut antea conſtitutum fuerat) advocatis concludi: eundemque numerum, quoties vel profeſſionis fine [17], vel morte, vel quocumque fuerit caſu imminutus, electione magnificæ tuæ Sedis impleri; ita ut in præſenti quidem, & hinc usque ad biennium [18] ad impletionem ſupra definiti numeri ſubrogandi, ſine ulla cohortalis [19] aut cujuslibet deterioris conditionis quæſtione ſuccedant: ſalva videlicet adverſus eos apparitoribus, ſi qua competit, actione, quam certum eſt, poſtquam fiſci patronatum officio impleto exegerint, evaneſcere: poſt lapſum vero biennium, foro tuæ magnificæ poteſtatis inſeri poſtulantes, non aliter, niſi ſub geſtorum confectione minime eos cohortali conditioni ſubjacere patefactum fuerit, admittantur.

§. 1. Cuncta ſane privilegia, quæ magnificæ per Orientem præfecturæ advocatis ex divinis retro Principum, ſeu inclytæ recordationis Leonis, vel noſtris ſanctionibus indulta ſunt, tuæ [20] quoque glorioſiſſimæ Sedis cauſidicis absque ulla diſcretione competere, per hanc in æternum valituram legem ſancimus. Dat. 6. Kal. Jan. *Conſtantinop.* DECIO & LONGINO CONSS. 486.

De multis.

18. [21].

NUllus [22] multæ dictionem habeat in eos advocatos, qui intra fori Prætoriani ſtatutum [23] numerum ſunt, præter ipſum Præf. præt.

De lite non protrahenda.

19. [24].

NE [25] ideo lis protrahatur, quod in ea non reperiantur advocati [26] tres, cum duo ſufficiant.

TIT. VIII.
DE [27] ADVOCATIS DIVERSORUM JUDICUM.

De dignitate ejus, qui depoſuit officium advocationis.

1. Imp. ANASTASIUS A. Euſebio Magiſtro officiorum.

SUggeſtionem viri Illuſtris Comitis rerum privatarum [28], & Proconſulis Aſiæ duximus admittendam: per quam noſtræ Serenitatis auribus intimavit, fori ſui advocatos communi petitione magnopere poſtulaſſe, ut, poſtquam advocationis depoſuerint officium, dignitate quadam, noſtra liberalitate, potiantur. Jubeamus itaque poſt depoſitum (ut dictum eſt) præfatum officium, unumquemque eorum, qui in præſenti ſunt, vel poſtea matriculis eorum pro tempore fuerint inſerti, Clariſſimi primi ordinis comitis perfrui dignitate: quatenus & tempore quietis fructum [29] præteritorum laborum conſequantur: proque fide atque induſtria erga clientes ſuos comprobata [a] privatæ conditionis hominum multitudine ſegregati, Clariſſimis merito connumerentur. Dat. 2. Kal. Jan. *Conſtantinop.* ANASTASIO A. II. CONS. 499.

De cohortali, vel deteriore conditione.

2. Idem A. Thomæ P. P. per Illyricum.

ADvocatos [ampliſſimæ] tuæ Sedis, qui pro tempore ad fiſci patroni gradum & officium provehuntur, una cum liberis jam natis, vel poſtea procreandis ab omni cohortalis [30], ſeu cujuslibet deterioris conditionis vinculo immunes ac liberos cum patrimonio ſuo conſervari decernimus: [Cum] conſtet hoc jam pridem tam advocatis ampliſſimæ prætorianæ per [31] Orientem, quam magnificæ Urbicariæ [32] [Præfecturæ] ſacris conſtitutionibus eſſe indultum: & non dubium ſit, non tantum eas, ſed etiam ſublimiſſimæ tuæ Sedis germanas [33] eſſe poteſtates. Dat. 12. Kal. Decemb. PATRICIO & HYPATIO CONSS. 501.

De privilegiis patronorum fori Comitis Orientis & fiſci.

3. Idem A. Conſtantino P. P.

JUbemus pro tempore primatem [34] advocatorum fori viri illuſtris Comitis Orientis per biennium [35] fiſci patroni fungi Officio, & ſolatia ſibi communi conſenſu deputata per idem biennium conſequi: hoc quoque tranſacto, profeſſionem advocationis deponere: conſortio videlicet eorundem advocatorum ad quadraginta tantum viros redigendo: ita ut, ſi qui ſuperflui ſunt, jam eidem conſortio ſociati, de advocationis officio minime rejiciantur: nemine alio eis adjiciendo: ne quadraginta virorum numerum advocatorum conſortium excedere contingat. §. 1. Ad hæc eos, qui (prout ſtatutum eſt) fiſci patroni depoſuerint officium, poſtea quoque non prohiberi ſingulos tam pro [36] ſe, quam pro jugali [37] ſua, & ſocero, & ſocru, nec non genero & nuru, liberisque propriis, colonis, & ſervis ad ſe pertinentibus advocationis fungi officio. §. 2. Nec ædiculas eorum *metatorum* [38] onere moleſtari, ſi tamen in una tantummodo ſuaque domo ſinguli talem prærogativam ſibi vindicare maluerint. §. 3. Pro *ſportulis* præterea modum, quem notitia [39] nobis porrecta declarat, tam pro his, quam pro colonis & eorum ſervis cuſtodiri: neminique præberi licentiam eundem modum circa ſportularum exactionem contra eos excedendi. §. 4. Nec de cætero quenquam, antequam per ſtatuta [40] tempora legum eruditioni noſcatur inhæſiſſe, ſupradicto conſortio ſociari. §. 5. Et filios advocatorum, vel adhuc in tali conſtitutorum officio, vel eorum, qui fiſci patronatum depoſuerint, ſuperſtitum vel mortuorum, extraneis ad idem officium accedentibus anteponi: eique gratis, & ſine ſumptibus ſociari, & ſi ipſi (prout depoſitum eſt) ſolito tempore legum doctrinam meruerint.

§. 6. Ut autem his, qui fiſci patroni officium adepti ſunt, vel fuerint, non tantum ſuperſtitibus, ſed etiam morte præventis proſpiciatur: tam ad heredes fiſci patroni, qui ſemel ad talem gradum vocatus ſit, ſolatia [41] ejus tranſire, hisque ſervari: quam ipſos, qui fiſci patronatum jam depoſuerunt, vel poſtea depoſuerint, minime cujuslibet actus publici ſollicitudinem nolentes ſubire compelli, nec exhibitionis ſeu deductionis onere (niſi ſpeciali auctoritate noſtra) moleſtari: & in provincia incuſandos per ſententiam viri ſpectabilis Comitis Orientis, utpote competentis judicis, conveniri atque litigare decernimus. Dat. Kal. Jul. *Conſtantinop.* SABINIANO & THEODORO CONSS. 505.

De privilegiis patronorum fiſci.

4. Idem A. Euſtathio P. P.

LAudabile [42] vitæque hominum neceſſarium advocationis officium, maxime Principalibus præmiis oportet remunerari. §. 1. Ideoque jubemus, viros clariſſimos fiſci [43] pro tempore patronos fori tuæ Celſitudinis, ſolenni die [44] feſtivitatis Kalendarum Januariarum ipſius tantummodo anni, per quem tale peragunt officium, inter ſpectabiles

1 *l.* 11. §. 1. *ſupr. h. t.* 2 Adde *l.* 6. *l. penult. ff. de poſtul.* Sanguinis ratione multa permittuntur, quæ alias non permitterentur: qua de re vid. Roland. a Valle 1. *conſ.* 46. *num.* 46. & ita advocatus fiſci, ſe ſuosque fiſco præferre poteſt: ut privata caritas publica hoc caſu videatur potior. Hinc etiam colligunt, neminem præſumi advocatione ſuſcepta, polliceri officium ſuum adverſus liberos. adde *l.* 3. §. 1. *l.* 5. §. 1. ℨ. *tit. proxim.* adde quæ ſcripſi *ad l.* 8. *infr. de locato.* 3 Id eſt, nihil præter ſalarium illius anni, in quo decedit, *l.* 15. *in fin.* ℨ. *h. t.* 4 De militiæ caſtrenſis & quaſi caſtrenſis comparatione vid. Cicer. *Orat. pro Murena.* 5 Facta. *Hal.* utrumque recte, ſunt enim & incidunt in cauſas fata quædam & dies, qui appellantur fatales. Iſocrates adverſus Callimachum: πολλὰ παρὰ γνώμην ἐν τοῖς δικαστηρίοις ἀποβαίνειν, καὶ ὅτι τύχῃ μᾶλλον ἢ τῷ δικαστηρίῳ κρίνεται. fortunæ judicio, *l.* 13. *ff. de ſtatu hom.* Latinus Pacatus: Nolo miſerorum vel factum onerare vel fatum. Cujac. 16. *obſ.* 9. Huc refer illud Ammiani 30. Id habet cauſidicina cum cæteris metuendum, quod accidentia ſecus in poteſtate eſſe exiſtiment patronorum, & omnes certum exitum iiſdem ſoleant adſignare, & non liti rerum &c. & *l.* 41. *C. Th. de appell.* diſceptationis fata. Adde quæ de fatalibus ſcripſi ad *Nov.* 49. *cap.* 1. 6 Ferrandus *lib.* 2. *explicat. c.* 6. Hugo Cynus *in conſ. pro filia ſenat.* vide & Ciceronem *pro Murena.* Mod. 7 Advocati non minus proſunt reipublicæ, quam milites. 8 Vide Lapum ad hanc legem *alleg.* 101. *col.* 1. & *c. paratus. in fin. c. noli. c. militare.* 33. *q.* 1. Mod. 9 Non ſoli milites, ſed etiam advocati militant. Nihil tam ſimile bello eſt, quam lis & judicium. 10 In quibus rebus conſiſtat advocatorum militia. 11 Adi ſi lubet Baldum *ad l. ſi tuis nummis.* ℨ. *de oper. lib.* Jaſ. *in l. ut vim.* 5. *col. in gloſ. ibi ſed quid. ff. de juſtitia & jure.* Mod. 12 *l.* 10. ℨ. *h. t.* 13 *l.* 16. ℨ. *h. t.* 14 Adde *l.* 13. *in fin.* ℨ. *h. t.* Advocatus fiſci ante annum completum decedens ad heredem transmittit ſalaria anni integri: facit *l.* 4. *ff. de off. adſeſſor. l.* 19. *in fin. ff. locati.* 15 *l.* 15. *ſupr. h. t.* 16 *l.* 8. *l.* 11. ℨ. *h. t.* 17 Advocatorum finis aliquis legitimus. vid. Cujac. 16. *obſ.* 22. 18 Vid. *l.* 12. ℨ. *h. t.* 19 *l.* 8. ℨ. *h. t.* 20 *l.* 7. ℨ. *h. t.* 21 Latina interpretatio. 22 Cujac. 13. *obſerv.* 2. 23 *l.* 8. *in princ. l.* 11. *in pr.* ℨ. 24 Latina interpretatio. 25 Cujac. 13. *obſerv.* 2. 26 Plures advocatos ſibi advocare licet, *l.* 7. *in pr. ſupr. de poſtulando.* Ex frequentia advocationis deprehendebatur, quam quisque gratioſus eſſet: vid. exempla apud Tullium *Oratione pro Quintio & pro Cæcinna.* Curtium *lib.* 6. ubi de Philota; Cæſarem 1. *Commentar.* ubi de Orgentorige. Hæc advocatio Græcis dicebatur παράκλησις, ut παράκλητοι, advocati. vid. Polletum 1. *de hiſtoria fori Romani* 1.
27 Hujus tituli inſcriptio in multis codicibus deeſt. 28 De quo vid. ℨ. *de off. comit. rer. privat.* 29 Finis legitimus advocatorum, frui quibusdam privilegiis. vid. Cujac. 16. *obſ.* 22. 30 *l.* 8. *l.* 17. ℨ. *tit. prox.* 31 *d. l.* 17. *in fin.* 32 *d. l.* 8. *in fin.* 33 Præfectura prætoris Orientis, Illyrici, Urbicaria, germanæ poteſtates. 34 Inter advocatos diſcrimen fuit. Nam cum hic *primatis* fiat mentio, diſtinctum primatem a cæteris fuiſſe colligi poteſt. 35 *l.* 12. ℨ. *tit. prox.* 36 Vid. ℨ. *tit. prox.* 37 Id eſt, uxore. 38 *Metatum* quid. vid. ℨ. *de metatis & epidem.* 39 *Notitia* quid, diximus alibi. 40 *l.* 5. §. 4. ℨ. *hic.* olim quadriennium conſtitutum erat, hodie quinquennium. *Conſt. ad anteceſſores.* §. 1. *in fin.* vid. Cujac. 12. *obſ. ult. in princ.* 41 *l.* 5. *in fin.* ℨ. *h. t. l.* 15. *in fin.* ℨ. *tit. prox.* 42 Advocationis officium commendatur, & ipſa honeſtate & neceſſitate. 43 Sic reſtituo, *patronos fori tuæ c. ſ. d. f. Kal. Jan. pro tempore ipſius tantummodo anni.* 44 Kalendarum Januariarum dies ſolennis & feſtivus. Is etiam dies, largitionum dies fuit. 10. Niceph. 23. vid. Cujac. ℨ. *de canone largition. tit.* 2.